SUPPLEMENTA

AD BREVIARIUM,

ET MISSALE ROMANUM

IN USUM

MISSIONARIORUM ANGLICORUM.

Sup : Perm : ac Approbatione.

Per J. W. apud quem væneunt.

ANNO DOMINI. M.DCC.LXV.

BRITISH MUSEUM
30
62
JUN

RESOLUTIO ROMANA DE IV. DIE NOVEMBRIS M.DCC.LXIV.

Quoad modum dicendi Reſponſoria.

QUANDO duobus aſteriſcis eſt diviſum Reſponſorium, prima repetitio debet fieri â primo aſteriſco uſque ad verſum, non verò uſque ad ſecundum aſteriſcum tantùm, ſecunda verò repetitio, quæ fit poſt *Gloria Patri*, et quæ revera debet eſſe brevior, non comprehendit niſi verba, quæ habentur poſt ſecundum aſteriſcum. V. G. in Reſponſorio Dominicarum intra annum poſt verſum repetuntur hæc omnia verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Plena eſt omnis terra Gloria ejus.* & poſt *Gloria Patri* iterùm repetuntur hæc verba tantùm: *Plena eſt omnis terra Gloria ejus.* Talis eſt praxis Vniverſalis Eccleſiæ, quia ſecundùm hanc orat SANCTISSIMUS, & Collegium Cardinalium, quod ſufficit pro refutandis omnibus rationibus in contrarium.

Pro Commemoratione S. Georgii M. in Suffragiis communibus Sanctorum. Ana *ad Bened.* Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. *Verſ.* Juſtus ut palma florebit. *Reſp.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ana *ad Magn.* Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Verſ.* Juſtus &c. *ut ſuprà.*

Oratio.

DEUS, qui nos beati Georgii martyris tui meritis & interceſſione lætificas: concede propitius: ut qui tua per eum beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum.

DECRETUM R. A.

CUM . . . . . præ ſuâ pietate ac zelo procurandi cultum Sanctorum Angliæ, enixas Sanctiſſimo Domino noſtro *BENEDICTO PAPÆ XIV.* preces porrexerat pro facultate recitandi infra Scripta Sanctorum officia, quæ à Commorantibus in Collegio Anglicano Urbis, & à Religioſis Societatis Jeſu Provinciæ Angliæ reſpectivè recitantur, nec non pro extenſione eorundem ad omnes Anglicanæ Nationis Eccleſiaſticos ubique Locorum degentes, Sanctitas ſua ipſius pietatem ac Zelum fovere ſtudens attentiſque peculiaribus facti circumſtantiis, petitam facultatem, ac reſpectivè extenſionem benignè conceſſit, atque indulſit, ſub Ritu in dictis officiis infra deſignato, ità tamen, ut in Sanctorum Suffragiis fiat tantùm Commemoratio de S. Georgio. *die* 8 *Januarii* 1749.

23. *Aprilis*, De S. Georgio M. ſub ritu dup. 1. claſſis cum Octavâ.

26. *Maij*, De S. Auguſtino *Angl. Apoſt.* ſub ritu dup. 2. claſſis cum Octavâ.

13. *Octobris*, De S. Eduardo Reg. C. ſub ritu dup 2. claſſis cum Octavâ

21. *Octobris*, De SS. Urſulâ & Soc. VV MM. ſub ritu dup. Maj.

20. *Novemb.* De S. Edmundo Reg. M. ſub ritu dup Maj.

29. *Decemb.* De S. Thomâ Cant. Ep. M. ſub ritu dup. 2. claſſis cum Octavâ.

BRITISH MUSEUM 30 62 JUN

SUP-

DIE XXIX. DECEMBRIS. *IN FESTO S. THOMÆ ARCHIEP. CANT. M. Pro ſacerd. Sæcul.* Duplex primæ Claſſis, *pro Aliis* Duplex ſecundæ claſſis cum Octavâ. *Ità conceſſit SS. noſter BENED. XIV. die* 8. *Jan.* 1749. Omnia ut in Breviario.

DIE V. JANUARII. *OCTAVA S. THOMÆ ARCHIEP. M.* Duplex minus. *Lectiones primi Noct. de Vigilia Epiphaniæ.* 2. *Noct.* Principes &c. *de Communi* 2. *loco.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Joannem.

LECTIO VII. cap. 10. *b.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Et reliqua.

Homilia S Gregorii Papæ. *Hom.* 14. *in Evangelia.*

AUDISTIS, Fratres chariſſimi, ex lectione Evangelica eruditionem veſtram: audiſtis & periculum noſtrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, ſed eſſentialiter bonus eſt, dicit: Ego ſum paſtor bonus. Atque ejuſdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adjungit, dicens: Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Fecit quod monuit; oſtendit quod juſſit. Bonus paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in ſacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret. *Reſp.* Corona aurea.

LECTIO VIII.

OSTENSA nobis eſt de contemptu mortis via, quam ſequamur: appoſita eſt forma, cui

cui imprimamur. Primum nobis eſt, exteriora noſtra miſericorditer ovibus ejus impendere: Poſtremum verò, ſi neceſſe ſit, etiam mortem noſtram pro eiſdem ovibus miniſtrare. A primo autem hoc minimo pervenitur ad poſtremum majus. Sed cum incomparabiliter longê ſit melior, anima qua vivimus, quam terrena ſubſtantia quam exterius poſſidemus: qui non dat pro ovibus ſubſtantiam ſuam; quando pro his daturus eſt animam ſuam?

Reſp. Hic eſt verê martyr. *LECTIO IX.*

ET ſunt nonnulli, qui dum plùs terrenam ſubſtantiam, quam oves diligunt, merito nomen Paſtoris perdunt: de quibus protinùs ſubditur: Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittet oves, & fugit. Non Paſtor, ſed Mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippê eſt, qui locum quidem Paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis, gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reverentia lætatur. *Te Deum laudamus.*

DIE XXIII. APRILIS. *IN FESTO S. GEORGII M. Patr. Angl.* Duplex 1. claſſis cum Octava. *Lectiones primi Nocturni* Fratres debitores &c. *de Communi Plurimorum Martyrum.* Reliq. ut in Breviario.

Per octavam lectiones habentur in Supplemento edito 1734.

UR-

URBIS, & ORBIS.

DIE VII. MAII. *IN FESTO S. STANISLAI. M P. Sequentia Verba addenda ſunt 6. Lectioni. Ex decreto CLEMENTIS VIII. die 4. Julij* 1595. *et iterùm ex Decreto CLEMENTIS XII. die* 13. *Martij* 1736.

Clemens verò duodecimus Pontifex Maximus Sancti Staniſlai Feſto die in Romanum Breviarium relato Glorioſi Martyris Memoriam duplici officio ubique celebrari juſſit.

DIE XXVI. MAIJ.

In Feſto *S. AUGUSTINI* C. P. ANGL. APOSTOLI.

Duplex Secundæ Claſſis cum Octava. *ex Conceſſione SS. D. N. BENEDICTI XIV. die* 8. *Januarii* 1749.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Auguſtinum Pontificem, primum Doctorem populo conceſſiſti Anglorum; tribue nobis quæſumus, ut cujus merita prædicamus in Terris, ejus Suffragia Sentiamus in Cœlis. Per Dominum.

Lectiones I. NOCTURNI *Fidelis Sermo.*

In II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Hiſtoria Ven. Bedæ L 1. *c.* 23 *& ſeq.*

AUGUSTINUS Cantuariæ Archiepiſcopus Primus & Anglorum Apoſtolus, a beato Gregorio Miſſus, in Angliam venit Anno quingenteſimo nonageſimo, ſeptimo. Erat eo tempore Rex Ethelbertus in Cantio potentiſſimus, qui Humbro tenus Imperii ſui fines tetende-

derat. Hic virum ſanctum audita adventùs ſui cauſâ benignè ſuſcepit: Eum cum ſociis, vitæ monaſticæ cultoribus, Cantuariam Regni ſui Metropolim invitavit, ſummam vitæ innocentiam miratus, doctrinæque cœleſtis vim, quam Deus etiam miraculis confirmavit. *Reſp.* Inveni David &c.

LECTIO. V.

AD urbem accedebant Supplicatione ſolemni, crucem, pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, Litaniaſque canentes. Erat haud procul ab urbe ad orientem Eccleſia, in honorem ſancti Martini antiquitùs facta, in quâ Regina utpote Chriſtiana orare conſueverat. Hic illi primò convenire, pſallere, orare, Miſſas facere, prædicare & baptizare cœperunt; donec Rege ad fidem converſo, maxima quoque populi pars Chriſto nomen daret, pium regis exemplum, non authoritatem ſecuta. Didicerat enim illè a Doctoribus authoribuſque ſuæ ſalutis, ad cœlum homines trahendos eſſe, non cogendos. Jamque Anglorum & Britanniæ Archiepiſcopus ordinatus Auguſtinus, ne quid vineæ Domini ad culturam deeſſet, novam quoque operariorum manum ab Apoſtolicâ ſede depopoſcit, Mellitum, Juſtum, Paulinum & Rufinianum. *Reſp.* Poſui &c.

LECTIO VI.

MISIT per hos Sanctus Gregorius vaſa ſacra veſtimenta Altarium, ornamenta Eccleſiarum, Sanctorum etiam Apoſtolorum ac Martyrum Reliquias. idem monuit, ut Idolo-

lorum fana deſtructis idolis, in uſum Religionis Chriſtianæ convertantur, aſpergantur aquâ Benedictâ, Altaria conſtruantur, Reliquiæ componantur. Cum Epiſcopis Britonum, qui in extremos Inſulæ fines, ante Annos ferè centum & quinquaginta, fuerant depulſi, vehementer egit Auguſtinus, ut errore de celebratione Paſchatis depoſito, operam ſuam convertandis Anglis conjugerent: Sed hanc ei provinciam reliquêre totam. Qui magnis pro animarum ſalute exantlatis laboribus, miraculis illuſtris, moribus illuſtrior; cum Mellitum Londinenſi Eccleſiæ præfeciſſet, Roffenſi Juſtum, ſuæ Laurentium deſignaſſet, Officij ſui diebus in pace completis, ad vitam beatam tranſiit ſeptimo Calendas Junias, Ethelberto regnante. *Reſp.* Iſte eſt &c.

In III. NOCTURNO. *Homilia S. Gregorij Papæ in Evang.* Deſignavit Dominus &c. *De Communi Evangeliſtarum.*

DIE XXVI. MAII. *S. Auguſtini Epiſcopi et Confeſſoris Angl. Apoſt. Miſſa.* Sacerdotes. *de coi Conf. Pont. 2. loco. Evang.* Deſignavit Dominus. *ut in Feſto S. Marci Evang.* 25 *Aprilis. et dicitur* Credo *per Octavam.*

ORATIO.

DEUS, qui beatum Auguſtinun Pontificem, primum Doctorem populo conceſſiſti Anglorum: tribue nobis quæſumus; ut cujus merita prædicamus in terris, ejus ſuffragia ſentiamus in Cœlis. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

GRATA tibi ſint, quæſumus Domine, oblata munera, quibus beati Auguſtini Confeſ-

fessoris tui atque Pontificis merita Veneramur, et nostræ pariter recolimus insignia libertatis et vitæ. Per Dominum.

Postcommunio.

SANCTA tua, quæsumus Domine, quæ pro beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis solemnitate libavimus, nos foveant; quibus jugiter satiemur, et semper desideremus expleri. Per Dominum. *Ex Missali Sarisburiensi.*

DIE I. JUNII. *De Septima Die infra Octavam S. AUGUSTINI C. P.* Semiduplex. *Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.* IN II. NOCTURNO. *Sermo Sancti Maximi Episcopi.* Beati Patris Augustini, *ut in Breviario de Communi Confessoris Pontificis, secundo Loco.*

IN III. NOCTURNO. Ex Octavario Rom.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

IN illo tempore: Designavit Dominus & alios Septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum: quo Erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Serm,* 42 *de Sanctis, circa medium.*

IPSE Dominus noster loculos habuit in via, & ipsos loculos Judæ commendaverat. Patiebatur quidem furem: sed ego à Domino meo discere cupiens, dico: Domine, patiebaris furem, unde habebas unde tolleret? Me hominem miserum & infirmum monuisti nec saculum portare: tu portasti loculos, & erat ubi furem

rem patereris: Si non portares, nec ille inveniret quod auferret. Quid reſtat, niſi quod hic dicat mihi: intelligè quod audis, noli portare ſacculum, Quid eſt ſacculus? pecunia clauſa, id eſt, occulta ſapientia. Nolite fieri Sapientes penes voſmetipſos. Accipite Spiritum Sanctum. Fons in te debet eſſe, non Sacculus: unde erogatur, non ubi includatur. *Reſp.* Amavit.

LECTIO VIII.

Paulò poſt.

NEMINEM in via Salutaveritis. Poteſt quidem & Simpliciter Sic accipi, quia juſſit nos feſtinanter agere injuncta. Sed eſt aliud, quod hic magis recogitem non diſſimile intelligere quod plus pertinet ad me, & ad omnes diſpenſatores, ſed & ad vos auditores. Qui Salutat, Salutem dicit: Nam & antiqui in Epiſtolis ſuis Sic Scribebant, Ille illi Salutem. Salutatio à Salute nomen accepit, Quid ergo eſt, Neminem in via Salutaveritis? Qui Salutant in via, per occaſionem Salutant. Video vos citò intellexiſſe, nec tamen debeo jam finire: non enim omnes citò intellexiſtis. Sed quia de via loquimur, tamquam in via ambulemus. Veloces tardos expectate, & pariter ambulate. *Reſp.* Sint lumbi.

LECTIO IX.

QUID ergo dixi, Qui in via Salutat, per occaſionem Salutat? Non ad eum ibat, quem Salutat; Aliud agebat, aliud occurrit aliud petebat, aliud tranſverſo quod ageret invenit. Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occaſionem. Sunt ergo homines, qui ſua quærentes,

es, non aliud prædicant Evangelium : de quibus Apoſtolus gemens dicit : Omnes enim ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Et hi Salutabant, hoc eſt, Salutem annuntiabant, Evangelium prædicabant : Sed aliud quærebant, et ideò per occaſinem Salutabant. *Te Deum laudamus.*

DIE II. JUNII. *OCTAVA S. AUGUSTNI* C. P. Duplex. *Lectiones* 1 NOCT. *de Script. Occur.* In II. NOCT. *Ex Octavario Rom.* Sermo Sancti Gregorii Papæ *Part.* 2. *Paſtoralis cap.* 1.

LECTIO IV.

TANTUM debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege Vita paſtoris. Oportet namque, ut metiri ſe ſolicitè ſtudeat, quanta tenendæ rectitudinis, neceſſitate conſtringitur, ſub cujus æſtimatione populus grex vocatur. Sic ergo neceſſe eſt cogitatione mundus, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per Zelum juſtitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum ſolicitudine non relinquens. *Reſp.* Inveni. 2. *Paſtoralis cap.* 9 & 10.

LECTIO V.

CONSIDERANDUM quoque eſt, quia cum curam populi electus Præſul ſuſcipit, quaſi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere paſſiones vivunt, quâ præſumptione percuſſum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille modis omnibus debet ad exemplum be-

bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat: cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. *Resp.* Posui adjutorium. *Ibid. cap.* 8.

LECTIO VI.

UNDE ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant. *Resp.* Iste est.

IN III. NOCT. Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *LECTIO VII. cap.* 10.

IN illo tempore: Designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Ex Comment. in Lucam.*

SICUT duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare, ne-

mo est qui dubitet; sic & hos septuaginta duos figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut Apostolica scriptura testis est, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Episcopi: quorum unum sapientiæ maturitatem, alterum industriam curæ postoralis significat. Bene autem septuaginta duo mittuntur: sive quia totidem mundi Gentibus Evangelium prædicandum erat; ut quomodo duodecim tribus Israel, ita & hi propter exteras Gentes destinarentur imbuendas: seu quod ipso prædicantium numero totus orbis per Evangelium summæ & individuæ Trinitatis illustrandus intimabatur. *Resp.* Amavit eum.

LECTIO VIII.

SICUT Solem hunc constat triduanam suæ lucis ambitum mundo per septuaginta duas horas afflare solitum: nam & Dominus ipse se diem, suos vero Apostolos horas appellat, dicens: Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit. Et in Psalmis præcipitur: Bene nuntiate diem de die, salutare ejus,; hoc est, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Sed & multis sanctæ Scripturæ locis per tres dies mysterium Trinitatis ostenditur, præcipue quia Dominus tertia die resurrexit a mortuis. Sed & in veteri Testamento populus ad montem Sinai perveniens die tertia legem accepit. Idem fluvium Jordanem, quo Baptismi gratia commendata est, tertia, quam adierat, die transivit. *Resp.* Sint lumbi.

LEC-

LECTIO IX. De SS. Marcellino, Petro, & Eraſmo MM. ut in Breviario. Te Deum.

DIE XVIII. JULII. *INFESTO S. CAMILLI DE LELLIS Confeſſoris, Fundatoris Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis.* Semiduplex. *Ex Mandato SS. D. N. CLEMENTIS XIII. die* 15. *Decembris* 1762. Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ſequentia.

In Hymno, Iſte Confeſſor. *mutatur tertius verſus.*

ORATIO.

DEUS, qui Sanctum Camillum ad animarum in extremo agône luctantium ſubſidium ſingulari charitatis prærogativa decoraſti: ejus, quæſumus, meritis Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde, ut in hora exitus noſtri hoſtem vincere, & ad cœleſtem mereamur coronam pervenire. Per Dominum. In unitate ejuſdem. *In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurrente. In Secundo Nocturno.*

LECTIO IV.

CAMILLUS Bucclanici Theatinæ Diœceſis oppido ex nobili Lelliorum familia natus eſt, matre ſexagenaria, cui gravidæ viſum eſt, per quietem, puerulum Crucis ſigno in pectore munitum, et agmini puerorum idem ſignum geſtantium præeuntem, ſe peperiſſe. Adoleſcens rem militarem ſecutus, ſæculi vitiis aliquamdiù indulſit; donec vigeſimum quintum agens ætatis annum tanto ſupernæ gratiæ lumine, divinæque offenſæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illicò perfuſus, anteactæ vitæ ſordes indeſinenter abſtergere,

novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis beatissimæ Virginis festo die ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti semel atque iterùm compos factus est; sed fœdo ulcere, quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iteratò recrudescente, divinæ providentiæ majora de eo disponentis consilio humiliter se subjecit, suique victor illius Religionis bis expetitum, et susceptum habitum bis dimisit. *Resp.* Honestum fecit.

LECTIO V.

ROMAM profectus in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est; cujus etiam administrationem, ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate, ac solicitudine verè paterna peregit. Omnium ægrorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus, et cohortationibus opem ferre solemne habuit; quibus in muneribus præclara præbuit admirabilis patientiæ, invictæ fortitudinis, et heroicæ charitatis exempla. Verùm cum animarum in extremis periclitantium, quod unicè intendebat, levamini subsidium litterarum plurimùm conferre intelligeret, triginta duos annos natus in primis grammaticæ elementis tyrocinium inter pueros iterùm subire non erubuit. Sacerdotio posteà ritè initiatus, nonullis sibi adjunctis Sociis prima jecit Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium fundamenta; irrito co-

conatu

conatu obnitente humani generis hoſte: nam Camillus cœleſti voce è Chriſti Crucifixi, manus etiam de ligno avulſas admirando prodigio protendentis, ſimulacro emiſſa mirabiliter confirmatus, Ordinem ſuum à Sede Apoſtolica approbari obtinuit, Sodalibus quarto obſtrictis maximè arduo voto, Infirmis, quos etiam peſtis infecerit, miniſtrandi. Quod inſtitutum, quam foret Deo acceptum, et animarum ſaluti proficuum, ſanctus Phillippus Nerius, qui Camillo à ſacris confeſſionibus erat, comprobavit; dum ejus allumnis decedentium agoni opem ferentibus Angelos ſuggerentes verba ſæpiùs ſe vidiſſe teſtatus eſt. *Reſp.* Amavit eum.

LECTIO VI.

ARCTIORIBUS hiſce vinculis ægrotantium miniſterio mancipatus, mirum eſt, qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, diù noctûque ad ſupremum uſque ſpiritum eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, viliſſima quæque officia demiſſiſſimo obſequio, flexiſque plerumque genibus, veluti Chriſtum ipſum cerneret in infirmis, hilari promptoque animo arripiebat; utpote omnium indigentiis præſtò eſſet, generalem Ordinis Præfecturam, cœlique delicias, quibus id contemplatione defixus affluebat, ſponte dimiſit. Paternus verò illius erga miſeros amor tum maximè effulſit, cum et urbs contagioſo morbo primùm, deindè extrema annonæ laboraret inopia, et Nolæ in Campania dira peſtis graſſaretur. Tanta denique in Deum et proximum charitate exarſit, ut Angelus nuncupari,

et Angelorum opem in vario itinerum discrimine experiri promereretur. Prophetiæ dono, et gratia sanitatum præditus, arcana quoque cordium inspexit ; ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, Jejuniis, et assiduis attritus laboribus, cum pelle tantùm, et ossibus constare videretur, quinque molestis æque ac diutinis morbis, quos Misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, Sacramentis munitus, Romæ inter suavissima Jesu et Mariæ nomina, ad ea verba, *Mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat*, qua prædixerat horà, obdormivit in Domino pridie Idus Julii anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto ætatis suæ sexagesimo quinto, quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Decimus Quartus solemni ritu Sanctorum Fastis adscripsit. *Resp.* Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem *Cap.* 15. *LECTIO VII.*

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. *Tract.* 83. *in Joan. Evang.*

QUID putamus, Fratres mei ; numquidnam solum ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem ? Nonne est et aliud majus, ut diligamus Deum ? Aut verò de sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non re-

requiramus? Tria certè commendat Apoſtolus, dicens; Manent autem Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum Charitas. Et ſi in charitate, hoc eſt in dilectione concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta eſt eſſe, non ſola. De Fide igitur nobis quam multa mandata ſunt, quam multa de ſpe: Quis poteſt cuncta colligere, quis enumerando ſufficere? Sed intueamur quod ait idem Apoſtolus, Plenitudo legis charitas. *Reſp.* Iſte eſt qui ante Deum.

LECTIO VIII.

UBI ergo charitas eſt, quid eſt, quod poſſit deeſſe? Ubi autem non eſt, quid eſt, quod poſſit prodeſſe? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Fruſtrà quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam qui non diligit: nemo autem poteſt deſperare qui diligit. Itaque ubi dilectio eſt, ibi neceſſariò Fides, et Spes: Et ubi dilectio proximî, ibi neceſſario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodò diligit proximum tamquam ſeipſum; quandoquidem non diligit et ſe ipſum? Eſt quippè impius, et iniquus: Qui autem diligit, iniquitatem, non planè diligit, ſed odit animam ſuam. *Reſp.* Sint lumbi. Nona Lectio ex duâbus, una, de SS. Symphoroſa &c. MM. *Si hoc Feſtum transferatur, dicitur ſequens.*

LECTIO IX.

HOC ergo Præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus; et quidquid aliud præcepit, faciemus: quoniam quidquid eſt aliud, hic habemus. Diſcernitur quippè iſta di-

dilectio ab illa dilectione, qua se invicem diligunt homines: nam ut discerneretur, adjunctum est, sicut dilexi vos. Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo et nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à ceteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt, ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in Omnibus hominibus: Pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. *Te Deum Laudamus.* Missa propria, *ut infra.*

DIE XVIII JULII *in Festo Sancti CAMILLI DE LELLIS Confessoris, Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, MISSA.*

INTROITUS.

MAJOREM hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Psalmus.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. *Vers.* Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis prærogativa decorasti: ejus, quæsumus, meritis spiritum nobis tuæ dilectionis infunde, ut in hora exitus nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem spiritus, &c.

Lectio

Lectio Epiſtolæ beati Joannis Apoſtoli. 1. c. iii.

CHARISSIMI, nolite mirari, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.

Graduale. Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. *Verſ.* Lex Dei ejus in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus ejus, alleluia, alleluia. *Verſ.* Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis, alleluia.

Poſt Septuageſimam omiſſis alleluia & Verſ. Sequenti dicitur.

Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. *Verſ.* Potens in terra erit ſemen ejus: generatio rectorum benedicetur. *Verſ.* Gloria & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur.

Alle-

Alleluia, alleluia. *Verſ.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis, alleluia. *Verſ.* Juſtus germinabit ſicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum, alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem. c. xv. v. 12.

IN illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis; & fructus veſter maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

OFFERTORIUM.

In virtute tua Domine lætabitur juſtus, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer: deſiderium animæ ejus tribuiſti ei.

SECRETA.

HOSTIA immaculata, qua illud Domini noſtri Jeſu Chriſti immenſæ charitatis opus renovamus, ſancto Camillo intercedente, ſit contra omnes corporis, & animæ infirmitates ſalutare remedium, & in extremo agone ſolatium, & tutela. Per eumdem Dominum noſtrum.

COM-

COMMUNIO.

Infirmus fui, & visitasti me: amen, amen, dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis,

POSTCOMMUNIO.

PER hæc cœlestia alimenta, quæ sancti Camilli confessoris tui solemnia celebrantes, pia devotione suscepimus, da quæsumus Domine, ut in hora mortis nostræ sacramentis refecti, & culpis omnibus expiati, in sinum misericordiæ tuæ læti suscipi mereamur. Qui vivis & regnas.

DECRETUM Urbis, & Orbis.

AD pias, preces S . . . . . nec non Patris Joannis Gentili Præfecti Generalis regularium ministrantium Infirmis SS. D. nostro *CLEMENTI PP. XIII.* porrectas, & à Sanctitate sua ad Sac. Rituum congregationem remissas; Sacra eadem congregatio ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam, mandavit, ut ab omnibus Christi fidelibus tam Sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur die decima Octava Julij officium *S. Camilli de Lellis* fundatoris eorumdem Clericorum regularium ministrantium infirmis cum Oratione, lectionibus secundi, & tertii nocturni, ac missa propriis, a San. mem. *Benedicto. XIV.* die 12. martii 1753. approbat. sub ritu Semiduplicis de præcepto, Servatis rubricis recitentur, & in Breviario ac Missali Romano apponi concessit, si Sanctissimo Domino

no noſtro viſum fuerit. Die 11. Decembris 1762.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis eidem SS. D. noſtro relatione; Sanctitas ſua benignè annuit die 15. ejuſdem menſis & anni 1762.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Burgheſius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

DIE V. SEPTEMBRIS. *IN FESTO S. LAURENTII JUSTIN. C.P.* Nunc Semiduplex de præcepto. *Ex Decreto CLEMENTIS XIII. die* 12. *Septembris* 1759. Omnia ut in altero Supplem. vel inter Feſta ad Libitum.

DIE XIII. OCTOBRIS. *IN FESTO S. EDUARDI Regis & Confeſſoris.* Duplex Secundæ claſſis cum Octava. *Ex Conceſſione SS. D. N. BENED. XIV. die* 8. *Jan.* 1749. *Lectiones primi Nocturni.* Juſtus ſi morte. *ut in Communi, primo loco.* Reliq. ut in Breviario.

DIE XVI. OCTOBRIS. *De quarta Die infra Octavam S. EDUARDI Regis C.* Semiduplex. *Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurente.* In Secundo Nocturno. *Ex Octav. Rom.* Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.

LECTIO IV.

QUANTUM autem ſit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magiſtratu dignum judi-

udicarit audi. Christus excitatus â Mortuis, uid dicit Petro? Postquam enim illum interogasset, Petre amas me? Isque respondisset, Tu Domine scis quod amo te, dicit illi: Si diligisme, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissimè declaret, quantoperè ipsum diligeret Petrus: verum tiam, ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis oluerir illi commendatus esse, curam habeat vium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum Saluti prospiciat. *Resp.* Honestum fecit.

LECTIO V.

NULLUM enim officium hoc Deo chari us est, & ob id alicubi dicit: Simon, Simon expetivit te Satanas ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus solicitudis curæque præmium mihi rependis? Eamem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquàndo conversus confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est, uæ perinde declaret doceatque quis sit fidelis amans Christi, quam si fratrum curam at, proque illorum Salute gerat Solicitudiem. *Resp.* Amavit eum.

LECTIO VI.

HÆC omnes audiant & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique nodis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, uo pro viribus Ecclesiarum præfectos adju-

vent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate, Scientes, quod nisi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus, auxilientur, quamquam procul habitantes, & victus sors ipsis periisset, & tota in Scopulum impegisset Sapientia. *Resp.* Iste Homo.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Lucam.

LECTIO. VII. *Cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

HÆC tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & Spes præmii aterni, commemorata Sunt in Actibus Apostolorum, ubi Scriptum est: Quia docebat eos Paulus de continentia, de justitia, & Spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet, Sint lumbi vestri accincti. Ad justiam pertinet, Et lucernæ ardentes. Ad expectationem Domini pertinet, Quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo hæc est continentia, hi sunt lumbi accincti. Et fac bonum, hæc est justitia, hæ sunt lucernæ ardentes: Quære pacem, & sequere eam, hæc est expectatio futuri sæculi. *Resp.* Iste est.

LECTIO VIII.

HABENTES autem ista præcepta & promissa quid quærimus in terra dies bonos ub

ubi eos invenire non possumus? Scio enim, quia eos quæritis, quando aut agrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in hoc sæculo; quoniam quando ætas vergit ad finem, & senex plenus est querelis & nullis gaudiis; inter omnes tribulationes, quibus conteritur genus humanum, non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere non possunt. *Resp.* Sint lumbi.

LECTIO IX.

QUID ergo est vita hominis, etiam illa quæ longa dicitur? Audite, non à me, sed mecum Simul. Ait enim nobis quidam: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. En, quam rem vult docere, & cui rei utilis est timor Domini? Sequitur: Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Respondemus omnes: Nos volumus. Quod Sequitur, audiamus. Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Modò dic, Ego Eja respondeat mihi aliquis: Ego. Et cùm hoc feceris, Securus expecta vitam & dies bonos: quære pacem, & sequere eam, & tunc bona fronte dices Domino: feci quod jussisti, redde quod promisisti. *Te Deum laudamus.*

DIE XX. OCTOBRIS. *OCTAVA S. EDUARDI R. C.* Duplex. *Lectiones primi Nocturni de Scriptura Occurrente.* In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis. *Serm. 2. de Sancto Victore.*

LECTIO. IV.

GAUDETE in Domino, dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit hominem mundo, cujus multi Salvarentur exemplo. Iterùm dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multò plures ejus interceſſione Salventur. In terris viſus eſt, ut eſſet exemplo: In Cœlum levatus eſt, ut ſit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi jam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & Supplicantis affectum, & Supplicationis fructum. Quid enim quærat ſibi, qui nullius eget? *Reſp.* Honeſtum fecit.

LECTIO V.

HÆC dies glorioſæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus: exultemuss & lætamur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior eſt ad ſalvandum. Hodiè Eduardus poſito corpore, tantò alacrior, quantò expeditior penetravit in ſancta, ſimilis factus in gloria Sanctorum. Hodiè deſpecto mundo, & mundi principe triumphato, Supra mundum victor aſcendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Adſcendit autem cum immenſa ſupellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis glorioſus. Sedet veteranus miles, debita jam ſuavitate

vitate & ſecuritate quietus: Securus quidem ſibi, ſed noſtri ſolitus. O venerandam etiam ipſis Angelis Sanctitatem, quam pari ſtudio, etſi diſpari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facilè dixerim, quid virum aſtruat ſanctiorem, horum favor, aut pavor illorum. *Reſp.* Amavit eum.

LECTIO VI.

OMILES emerlte, qui Chriſtianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutaſti: reſpice ad imbelles & imbecilles commilitones tuos, qui inter hoſtiles gadios, & ſpiritales nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam ſuave, O Eduarde in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, & memoriale tuum, favus diſtillans in labiis captivorum, mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis; ut & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris. *Reſp.* Iſte homo.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Lucam.

LECTIO VII. *cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia Sancti Fulgentii Epiſcopi.

Ex Serm. de Confessoribus.

SI justum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus invenire. Quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides & charitas christiana monstratur. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrænari. Imperans autem ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet, ut & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ Charitatis operibus ferveamus. *Resp.* Iste est.

LECTIO VIII.

ISTA quæ de Evangelio proposuimus, cum Propheticis sermonibus conferamus. Utrumque enim Testamentum Deus instituit, unus Dominus dedit: etsi sunt utriusque Testamenti diversa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in utrôque Salutis humanæ sententia, qua præcipitur ut non peccemus, & jubetur ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perversè agere, discite benè facere. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcincti, nisi, quiescite agere perversè? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi, discite benefacere? *Resp.* Sint lumbi.

LECTIO IX.

PRÆCINGUNTUR enim fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimitur, dum

dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini reſiſtit animus, dum laſciviæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum avaritia contemnitur & rapina, dum proximi læſio devitatur, dum ſuperbia vincitur, dum invidia ſuperatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam ſervant, dum in ſinu matris Eccleſiæ longanimiter perſeverant, dum terrena contemnunt, & cœleſtia concupiſcunt, dum ſoliciti pacem cuſtodiunt, dum ſe invicem purè diligunt, dum mutuò ſe honore præveniunt, dum manſuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum miſericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis, non hominibus, ſed Deo placere contendunt. *Te Deum laudamus.*

DIE XXI. OCTOBRIS. IN FESTO SS. URSULÆ ET SOC. VV. & MM. Duplex majus. *Pro omnibus Anglis ubique locorum degentibus, ex conceſſione SS. N. Bened.* XIV. *die* 8 *Jan.* 1749.

In Utriſque Veſperis & Laudibus.

Verſ. Adducentur Regi Virgines poſt eam. *Reſp.* Proximæ ejus afferentur tibi. *Ana.* Prudentes Virgines, aptate Veſtras Lampades: ecce Sponſus venit, exite obviam ei.

ORATIO.

DA nobis, quæſumus, Domine Deus noſter, ſanctarum Virginum & Martyrum tuarum, Urſulæ & Sociarum ejus, palmas inceſſabili devotione venerari: ut quas digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequiis. Per Dominum.

Lecti-

Lectiones primi Nocturni. Confitebor &c.

IN II. NOCT. Sermo S. Ambroſii Epiſcopi. Quoniam hodié Natalis eſt Virginis, &c. *ut in Communi, primo loco.*

IN III. NOCTURNO. Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Simile erit regnum cælorum decem Virginibus. *Ut in Communi Virginum, etiam primo loco.* IX. Lectio ex duabus de S. Hilarione Abbate.

MISSA. *Loquebar.* Orationes et Epiſtola. *ut in Communi Plurium Virginum & Martyrum.*

DIE XXIX. OCTOBRIS. IN FESTO *VENERABILIS BEDÆ*, PRESBYTERI ET C. Duplex Minus. pro Regno Angliæ. *Ex Conceſſione SS. D. N. Benedicti XIV. die 2. Jan.* 1754.

Omnia de communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea, quæ ſequuntur. In Hymno, Iſte Confeſſor. dic. Meruit ſupremos.

ORATIO.

DEUS, qui Eccleſiam tuam Beati BEDÆ Confeſſoris tui atque Doctoris eruditione clarificas, concede propitius famulis tuis, ejus ſemper illuſtrari ſapientiâ, et meritis adjuvari. Per Dominum noſtrum. *Lect. primi Noct. de Scripturâ occurente.*

IN II. NOCTURNO. *LECTIO IV.*

BEDA Preſbyter, & Monachus Cœnobii Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum in An-

Angliâ, cum esset Puer septem annorum, sub magisterio Benedicti Abbatis in præfato Monasterio nutriendus à parentibus traditur, in quo mirabiliter proficiens Doctor clarissimus effulsit. Anno vitæ suæ decimo nono Diaconus factus est, trigesimo Presbyter, ex quo tempore usque ad ultimum vitæ suæ docere, aut scribere non destitit. Sicut enim ipse de se fatetur, nihil illi dulcius erat, quam divinas legere sedulo, & exponere scripturas. Nunquam torpebat otio, nunquam a studio cessabat; semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper oravit, sciens, quod amator scientiæ salutaris vitia carnis facilè superaret. Undè officium Abbatis oblatum nunquam voluit suscipere, ne cura rei familiaris distractus ab amplexu speciosæ Rachelis vel ad modicum tempus cogeretur discedere. Erat ei mos ex lectione vehementer accendi, & compungi, ita ut sæpe inter legendum, & docendum lachrymas effunderet ardentes. Undè post lectionem, & studium ad orationes sanctus Doctor devotas se conferebat, sciens magis Dei gratia, quam propriis viribus ad scripturarum scientiam perveniri. *Resp.* Honestum fecit.

LECTIO V.

EJUS doctrina tanto pretio digna habita est, ut Sergius Papa ab Urbe Romà Geolfrido ejus Abbati scripserit, eum exhortans, ut absque omni contradictione famulum Dei Bedam ad limina destinaret Apostolorum, eo quod

quod ejus præsentia in arduis causis Fidei, Ecclesiæ Dei valdè utilis esset & necessaria. Scripsit præterea de omnibus artibus, quas liberales vocant, tractatus plures, atque pulcherrimos. Græcam linguam magna ex parte didicit, nec Hebraicam ignorauit. Habuit multos egregios Discipulos, quos Studio, & exemplo ad amorem scripturarum incredibili fervore provocabat, Nec solum studiis, sed quod iis amplius est, religione, sanctitate, quos docuit, fecit insignes. Erat autem Beda decentis staturæ, incessu gravis, voce sublimis, ore facundus, & vultu decorus, & quadam jucunditate admixta severus. Unde bonis & devotis erat affabilis, superbis autem & negligentibus terribilis. Tandem post multos labores, quos scribendo & docendo impenderat, animo toto ad patriam suspirans in debilitatem, incidit, continuisque septem hebdomadis ante mortem stomachi indignatione laborans, & angusto spiritu halitum producens, studium nihilominus litterarum nequaquam omisit, sed totis iis diebus, præter debitum psalmodiæ pensum illi intendebat, Evangeliumque Joannis, iisdem diebus anglica lingua interpretatus est. *Resp.* Amavit eum.

LECTIO VI.

FERIA autem tertia ante Ascensionem Domini, accita congregatione communicatus, & unctus est, osculoque cunctis libato futuram sui memoriam à singulis imploravit. Die tandem Ascensionis Domini contra Oratorium,

rium, quo orare consueverat, subjecto cilicio decumbens, illibato sensu & hilari vultu dicebat, O Rex gloriæ; quâ antiphonâ finitâ spiritum efflavit, sexto Calendas Junii, Anno Domini septingentesimo sexagesimo secundo. Mox tâm suavissimus odor subsecutus est, ut omnes, qui aderant, in Paradiso se esse putarent. Vixit nonaginta annos, ex quibus octoginta tres in Monasterio egit. Hujus eruditissimi Viri Opuscula etiàm eo vivente, tantæ auctoritatis habebantur, ut jubentibus Ecclesiarum Prælatis, in Ecclesiis & Conventibus Fidelium publicè legerentur. Hinc factum est, ut cùm in Homiliarum titulis viventem non possent sanctitatis nomine appellare, Venerabilem nuncuparent, qui tunc titulus libris ejus semel insertus, nunquàm posteà deleri potuit. *Resp.* Iste homo.

III. NOCT. *De Communi Confessoris non Pont. Primo Loco. Missa.* Os Justi.

DECRETUM. *R. A.*

AD pias preces * * * * * * (erga Ven. BEDAM devotionis suæ perenne monumentum s. S. relicturi) SS. D. N. BENEDICTO PAPÆ XIV. porrectas, Officium cum Missa prædicti Ven. Bedæ de Communi Confessorum non Pontificum cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis tantùm, desumendis ex Brevario Congregationis Cassinensis ab omnibus Anglicanæ Nationis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, ubique locorum

rum degentibus, ſub Ritu duplicis minoris, die vigeſima nona Octobris recitari, ac reſpectivè celebrari poſſe, Sanctitas ſua ad relationem mei Secretarii benignè indulſit, atque conceſſit. Die 2. Januarii 1754.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuſcus S. R. C. Secretarius.

DIE XX. NOVEMBRIS. *IN FESTO S. EDMUNDI Regis & Martyris,*

Duplex Majus. *Ex Conceſſione SS. D. N. BENED. XIV. die* 8. *Jan.* 1749.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, IN II. NOCT. Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi. Triumphalis beati Martyris Edmundi, *ut in Communi, primo loco. IN III. NOCT. ut infra, pro una Martyre non Pontifice,*

MISSA. In virtute tua &c. *Evangelium* Nolite arbitrari.

ORATIO.

DEUS, ineffabilis miſericordiæ, qui beatiſſimo Regi Edmundo tribuiſti inimicum pro tuo nomine moriendo vincere; concede propitius huic familiæ tuæ, ut, eo intervenente, mereatur in ſe antiqui hoſtis incitamenta ſuperando extinguere. Per Dominum.

Secreta.

HOC Sacrificium redemptionis noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, clementer reſpice, & intercedente beato Edmundo Rege & Martyre

Martyre tuo, pro hâc familia tua placatus aſſume. *POSTCOMMUNIO.*

SINT tibi omnipotens Deus, grata noſtræ ſervitutis obſequia: ut hæc ſancta quæ ſumpſimus, intercedente beato Edmundo Rege & Martyre tuo, proſint nobis ad capeſſenda præmia vitæ perpetuæ. Per Dominum.

Orationes præcedentes, ſumuntur ex Miſſali Sariſburienſi.

HOMILIA DICENDA IN MATUTINIS IN FESTIS UNIUS MARTYRIS non Pontificis, quando in eis dicitur MISSA. In virtute tua.

IN TERTIO NOCTURNO,

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

LECTIO VII. *cap.* 15. *d.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Preſbyteri.

Lib. 1 *in Matth. cap.* 10.

SUPRA dixerat, Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Nunc infert, quid poſt prædicationem ſequatur. Ad fidem Chriſti totus Orbis contra ſe diviſus eſt: Unaquæque domus & infideles & credentes habuit, & propterea bellum miſſum eſt bonum, ut

rumperetur pax mala. Tale quid & in Geneſi adverſus rebelles homines, qui moti fuerant de Oriente, & turrem extruere feſtinabant, per quam cœli alta penetrarent, feciſſe ſcribitur Deus ut divideret linguas eorum. *Reſp.* Corona aurea.

LECTIO VIII.

VENI enim ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum. Hic locus propè iiſdem verbis in Michæa Propheta Scribitur. Et notandum ubicumque de veteri Teſtamento teſtimonium ponitur, utrum ſenſus tantum, an ſermo conſentiat. Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Qui antè præmiſerat, Non veni pacem mittere, ſed gladium, & dividere homines adverſus Patrem & Matrem, Nurum & Socrum; ne quis pietatem religioni anteferret, ſubjecit dicens: Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me. Et in Cantico legimus canticorum Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt: ama poſt Deum patrem, ama matrem, ama filios. *Reſp.* Hic eſt verè.

LECTIO IX.

ORDO pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum ſubjicit religioni. Aurum ſuprà tulerat, æs de Zona excuſſerat. Dura Evangeliſtarum conditio. Undè ergò ſumptus, unde victus neceſſaria? Auſteritatem mandatorum ſpe temperat promiſſorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit: & qui me recipit, re-

ecipit eum qui me miſit: ut in ſuſcipiendis Apoſtolis unuſquiſque credentium Chriſtum ſe ſuſcepiſſe arbitretur. *Te Deum laudamus.*

Ex Brev. Rom. Antuerpiæ impreſſo 1764.

MISSA Votiva

Ad poſtulandam gratiam benè moriendi,

Ex Decreto CLEMENTIS XI.

INTROITUS. Pſalm 12.

ILLUMINA occulos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſùs eum. *Pſalm.* Uſquequò Domine obliviſceris me in finem? uſquequò avertis faciem tuam à me? *Verſ.* Gloria Patri.

ORATIO.

OMNIPOTENS & miſericors Deus, qui humano generi, & ſalutis remedia, & vitæ æternæ munera contuliſti: reſpice propitius nos famulos tuos, & animas refove, quas creaſti: ut in hora exitus eorum abſque peccati macula tibi creatori ſuo per manus ſanctorum Angelorum repræſentari mereantur. Per Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. *Rom.* 14. *b.*

FRATRES Nemo noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur, ſive ergò vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus

est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum ? Omnes enim stabimus antè Tribunal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus. quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Ita unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Graduale. Psalm. 22. Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es, Domine. *Vers.* Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Alleluia. Alleluia *Vers. Psalm* 30.

In te Domine Speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me ; & eripe me ; inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eripias me. Alleluia.

Post Septuagesimam, omisso Alleluia *& versu sequenti, dicitur.*

Tractus Psalm. 24.— De Necessitatibus meis eripe me Domine. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Vers.* Ad te Domine levavi animam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei. *Vers.* Etenim universi, qui te expectant, non confundentur : confundantur omnes facientes vana.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur Alleluia, Alleluia,

Vers. Psalm. 113. In exitu Israël de Egypto, domus Jacob de populo barbaro, Alleluia.

Vers.

Verſ. Pſalm. 107. PARATUM cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam tibi, gloria mea. Alleluia.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Luc. 21. *g.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare antè Filium hominis.

Offertorium. Pſalm. 30. IN te ſperavi Domine: dixi, tu es Deus meus: in manibus tuis tempora mea.

SECRETA.

SUSCIPE, quæſumus Domine, hoſtiam, quam tibi offerimus pro extremo vitæ noſtræ: & concede, ut per eam univerſa noſtra purgentur delicta; ut quæ tuæ diſpoſitionis flagellis in hac vita atterimur, in futura requiem conſequamur æternam. Per Dominum noſtrum.

Communio. Pſalm. 70. Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius: Deus, docuiſti me à juventute mea, & uſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me.

POSTCOMMUNIO.

QUÆSUMUS clementiam tuam, omnipotens Deus, ut per hujus virtutem Sacramenti

menti nos famulos tuos gratia tua confirmare digneris: ut in hora mortis noſtræ non prævaleat contra nos adverſarius, ſed cum Angelis tuis tranſitum habere mereamur ad vitam. Per Dominum noſtrum.

Quædam NOVA DECRETA URBIS, ET ORBIS.

SANCTISSIMUS Dominus Noſter CLEMENS PAPA XIII. intér Multiplices Apoſtolatûs ſui curas, Sacrorum Rituum Amplitudinem præ oculis habere non prætermittens pia meditatione perpendit, quod quamvis compertum ſit Feſtis quibuſvis diebus Eccleſiam jugi cultu Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis ſolemnia colere, quùm Deum ipſum, qui eſt Pater & Filius, & Spiritus Sanctus rerum omnium opifex, & ad quem omnia rèferenda ſunt, in Feſtis quoque Deiparæ & aliorum Sanctorum Venerari, & glorificare profiteatur, maxime tamen deceat Dominico die, quô Deus ipſe lucem condidit, quô Jeſus Chriſtus a mortuis reſurrexit, quô ſedens ad dexteram Patris Paraclitum Spiritum Sanctum miſit de cœlis, quô proinde ineffabile, & incomprehenſibile Trinitatis Myſterium manifeſtum factum eſt nobis, quemadmodùm in Divino officio tùm ad Primam recitando Symbolum *Quicumque*, tùm plerumque in ultimo tertii Nocturni Reſponſorio Auguſtiſſimæ Triadis ſit commemoratio, idem & in Miſſæ ſacrificio peragi, & in eâ potiſſimùm parte, quâ conteſtamur dignum, & juſtum eſſe Deo gratias age-

agere, Eumque collaudare, benedicere, & prædicare; Idcircò ad majorem ſplendidioremque tanti myſterii gloriam, ut Fideles quoque, qui die Dominico Miſſæ intereſſe debent latiùs, atque apertiùs Sacroſancti ejuſdem Myſterii præconia audientes debitum & ipſi ſervitutis obſequium ſupremæ impendant Majeſtati, ſtatuit, atque decernit, quod ſingulis Dominicis diebus totiùs Anni, quibus Præfationes propriæ per Rubricas non ſunt adſignatæ, incipiendo à Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis currentis Anni MDCCLIX. Sacerdotes omnes utriuſque Cleri Secularis nempè, atque Regularis Præfationem de Sanctiſſima Trinitate, quæ jam inde a Vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe dignoſcitur, in Miſſa recitare teneantur, & ita inviolabiliter Obſervari mandavit. Hâc die 3 Januarii 1759. Loco ✠ Sigilli.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus.

M. Marefuſcus S. R. C. Secretarius

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIIS, & SACRIS RELIQUIIS PRÆPOSITÆ.

QUUM Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita die 31. menſis Martii Anno 1759. fuerit in voto Confeſſionem Sacramentalem quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ conſecutione, peragi omninò debere, etiam ab his, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt, nec non præfatam Con-

Confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi in vigilia Feſtivitatis expleatur, Votumque congregationis SS. D. Noſter CLEMENS PP. XIII. benignè approbaverit, illudque typis publicari ſub datum 19 Maij prædicti Anni mandaverit; quam plures ſupplices libelli tum Regularium communitatum, & præſertim Monialium, tum etiàm Parochorum, & nonnullorum Epiſcoporum pro ſuis Diæceſibus porrecti ſunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, imò perſæpè incidit pro Sacramentali Confeſſione, ſive in Feſto, vel ad minùs in vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeò proficuus Indulgentiarum Theſaurus reddatur Fidelibus accommodè comparandus, enixis precibus ſupplicabant Sanctitati ſuæ, ut opportuno aliquo remedio de Apoſtolica benignitate providere dignaretur: Quibus precibus ad prædictam Sac. Congregationem remiſſis, propoſitum in ea fuit Dubium. . . "An, & quo-
" modò ſit conſulendum Sanctiſſimo ſuper
" præfati Decreti executione, vel declarati-
" one in caſu &c. *Et reſponſum fuit* . . . Con-
" ſulendum Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut
" concedere dignetur Indultum omnibus Chriſ-
" ti fidelibus, qui frequenti peccatorum con-
" feſſione animam ſtudentes expiare, ſemel
" ſaltem in Hebdomada ad Sacramentum Pæ-
" nitentiæ accedere, niſi legitimè impedian-
" tur, conſueverunt; & nullius lethalis cul-
" pæ à ſe poſt peractam ultimam Confeſſio-
" nem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut omnes &
" quaſcumque Indulgentias conſequi poſſint,

" etiam

" etiam ſine actuali Confeſſione, quæ cæte-
" roquin juxta præfati Decreti definitionem
" ad eas lucrandas neceſſaria eſſet. Nihil ta-
" men innovando circa Indulgentias Jubilæi,
" tam ordinarii, quam extraordinarii, aliaſque
" ad inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſ-
" ſequendis, ſicut & alia opera injuncta, ita
" & Sacramentalis Confeſſio, tempore in ea-
" rum conceſſione præſcripto, peragantur. . ."
Et facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium de præmiſſis omnibus Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua piis Bonorum deſideriis, ac votis ſatisfacere, & Indulgentiarum gratias, iis poſſimùm, qui piè ſancteque vivendo, donis Divinæ Miſericordiæ digniores efficiuntur, elargiri quam maximè cupiens, benignè, annuit, & præfatum Indultum in forma ſupraſcripta expediri, & publicari mandavit quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

DATUM ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum die nona Decembris. M.DCC.LXIII.

N. Cardinalis Antonellus Præfectus.

J. DE COMITIBUS *S. Congreg. Indulgentiarum Secretarius.*

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIIS ET SACRIS RELIQUIIS PRÆPOSITÆ.

CUM ex veteri & laudabili Eccleſiæ Inſtituto die 2. Novembris omnium Defunctorum memoria recoli, eorumque animæ Oratio-

tionibus, eleemoſynis aliiſque piis operibus & Eccleſiæ Suffragiis, potiſſimum verò acceptabili ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio ab univerſis Chriſti Fidelibus juvari ſoleant, Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS PAPA XIII. ex Paterna ſua charitate erga omnes Fideles tam vivos, quàm Defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia & charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis ſordibus expiatis, deceſſerunt, de inexhauſto Catholicæ Eccleſiæ Theſauro abundantius ſuffragari quàm maximè cupiens, ut celerius è Purgatorii poenis liberatæ ad æternam gloriam per Dei miſericordiam pervenire valeant, de Conſilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis ſacriſque Reliquiis Præpoſitorum, univerſali hoc Decreto, perpetuis futuris temporibus valituro benignè concedit, ut Miſſa die prædictæ Commemorationis Defunctorum à quocunque Sacerdote ſæculari vel cujuſlibet Ordinis & Inſtituti Regularis celebranda, gaudeat Privilegio, ac ſi in Altari privilegiato eſſet celebrata, decernendo tamen, ut non niſi conſuetam eleemoſynam unuſquiſque Sacerdos pro dicta Miſſa, licet privilegiata, accipiat, ac in eâ tantùm quantitate, quæ à Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu loci conſuetudine regulariter præfinita fuerit. Quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus. Datum 19 Maii 1761.

Signatum erat. N. Card. ANTONELLUS Præfectus. L. ✠ S.

J. DE COMITIBUS. *S. Congreg. Indulgentiarium Secretarius.*

QUÆ-

QUÆDAM NOVA DECRETA CIRCA RUBRICAS.

SI Festum Annuntiationis B. M. V. occurrat in Feria VI. Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur unà cum præcepto audiendi Miſſam, et vacandi ab operibus ſervilibus, ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, *ac præferatur cuicumque Feſto duplici, etiam primæ Claſſis eo die occurrente*, ità ut eadem Feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro ſede propriâ memorato Feſto Annuntiationis aſſignata & ſtabilita intelligatur &c. *S. R. C.* 11. *Febr. et* 11. *Mart.* 1690. *approb. Alexandro VIII.*

Quando verò transfertur abſque præcepto audiendi Sacrum præfertur quidem cuicumque Feſto tranſlato, etiam 1. claſſis non autem Feſtis (majoris ritûs, & dignitatis, *ùt nostri Spiridion Tafù)* eo die occurrentibus. S. R. C. 2. Septembris 1741.

Si Feſtum Purificationis B. M. V. occurat in Dominica privilegiatâ, *vel in die Dedicationis propriæ Eccleſiæ*, et Feſtum Annuntiationis B. M. V. in Dominica 3. vel 4. Quadrageſimæ vel Paſſionis, *Solum* officium eſt tranſferendum in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, quocumque Feſto, etiam æqualis, *non tamen altioris ritûs*, in eam incidente. S. R. C. die 20. Julii 1748, quæ præcepit, ut in Generalibus Calendarii Romani Rubricis deſcriberetur.

2. In

2. In Missa privata de Sancto dup. vel Semid. &c. celeb. pro publica causa coram SS. Sacram. expositò, addi potest commemoratio de eodem SS. Sed omittenda est in Festis 1. & 2. classis. S. R. C. die 2. Decembris 1684. et 11. Maij 1746.

3. Dum Missa cantatur coram SS. Sacram. in Altari expositò, *Debet* fieri commemoratio de eodem SS. *Post omnes alias, de præcepto*; In Missa verò Solemni Festorum 1. vel 2. classis (si in ea una tantùm oratio dicatur) *est facienda sub una conclusione*; Si autem in illa Missa 1. vel 2. classis sint dicendæ duæ aut plures orationes ratione occurrentiæ, tunc com. de Ven. est post omnes illas facienda sub secunda conclusione. S. R. C. die 23. Junii 1736.

4. *S. R. C. die* 13. *Junii* 1736. Statuit ut in occurrentia Festorum ejusdem Ritus, et alias quomodocumque parium : Primum locum habeat officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis, seu Religionis, tertium Diœcesis, quartum Nationis, quintum Ecclesiæ universalis.

5. Sancti, qui in fine Anni supersunt, non sunt ad annum sequentem transferendi, sed quotiés toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandi sunt tamquam simplices faciendo illorum commemorationem, ut fit in Semiduplicibus cum nona Lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius

Et ità declaravit S. R. C. die 6. Septembris 1738.

6. DECRETA quæ ſtatuunt, non eſſe transferendos ad Annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſuperſunt, intelligenda ſunt non ſolùm de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus; & locum habent, ſive ab accidentali, ſive à perpetuo occurrente impedimento, eorum celebratio fuerit impedita. S. R .C. die 16 Septemb. 1741. *In ſimili caſu facienda eſt eorum commemoratio ut fit in duplicibus.*

7. FESTUM Semidup. à ſua propria die perpetuò tranſlatum poteſt deinceps celebrari infra Octavas non privilegiatas die proximiori diei propriæ Nativitatis & in perpetuum aſſignanda. *Ita declaravit S R C die* 19 *Aprilis* 1749.

8. Quamvis juxta Decretum S R C. datum die 22 Jan. 1735. Officia ſimplicia occurentia in Feſtis duplicibus 1. claſſis transferentur in diem ſequentem. Non ſunt ampliùs transferenda, ſed prorſus omittenda, etſi perpetuo occurrentia cum Dup. 1. claſſis. *Ita declaravit S R C. die* 18 *Julij* 1750.

9. Quando in Indultis, et Decretis ſuper conceſſione Officiorum leguntur Verba illa. *Recitari poſſe, fieri poſſe, Valeant, &c.* poſtquam ſunt acceptata, ſi occurrant diebus impeditis Officio ſuperioris ritûs, deinceps non reputantur tamquam mera Officia ad libitum, ſed de Præcepto, adeòque omninò transferenda. *Ita declaravit S R C. die* 6 *Septembris* 1738.

10. QUANDO Antiphonæ, & verſus variandi ſunt, pro com. alicujus Simplicis facienda; tunc ad veſp. primo accipienda eſt Ant. cum verſu Laudum. Si verò plures ſint comm. ſimplicium, tunc ſecunda com. ſumetur ex ſecundis Veſp. cum Verſu 2 Nocturni. Tertia verò com. fiet deſumundo Ant. 1 am ex 3 Noct, cum verſu ejuſdem 3 Nocturni.

Ad Laudes. Prima com. cum verſuerit propria ex 1 mis Veſp. Secunda com. fiet cum Ant. 3 Noct. et verſu aſſignatis jam in 1 mis Veſp. Tertia autem com. fiet deſumendo Ant. & verſum dictos ſecundo loco in 1. Veſp. Nempè Antiphonam ſecundar. Veſperarum, & verſum 2. Nocturni. *S R C. die 5. Maii* 1736.

11. *MODUS TERMINANDI ORATIONES.*

PER Dominum, dicat, *ſi Patrem quilibet orat.*
Si Chriſtum memores. Per eundem *dicere debet.*
Si loqueris Chriſto. Qui vivis *ſcire memento.*
Qui tecum, *ſi ſit Collectæ finis in ipſo.*
Si memores Flamen, ejuſdem *dic propè finem.*

12. IN Miſſis de Requiem in Paramentis nigris non adminiſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pixidem è cuſtodia; poteſt tamen Miniſtrans per modum Sacrificii cum particulis infra eandem Miſſam conſecratis. Ità S. R. C. die 2 Septemb. 1741.

13. IN

13. In Officio Defunctorum etiam 9 Lectionum in Vesperis et Laubibus semper dicendi sunt Psalmi *Lauda anima mea Dominum, et De profundis.* Præterquam in Die Obitûs, et in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Ità S R C. die 3. Augusti 1737.

14. ILLE Idem, qui benedicit Cineres, prima die Quadragesimæ, vel Candelas in Festo Purificationis B. M. V. aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Missam sequentem. *S. R. C. die 12 Aprilis 1640.*

IN *COMMUNICANTES* Pentecostes lege *In Igneis linguis* loco *Innumeris.* Ità Missale Romanum Vaticanum. 1735 et 1742. Estque conformius Sacræ Scripturæ.

APPENDIX.

DIE XI. APRILIS. *IN FESTO S. LEONIS I. PAPÆ C. ET ECCLESIÆ DOCTORIS.* Ex Decreto *BENEDICTI XIV.* die 15. Octobris 1754. Duplex. *Antiphona ad Magn. in utrisque Vesperis.* O Doctor &c. *Reliqua ut in Breviario.*

MISSA. INTROITUS. *Eccli.* 15.

IN Medio Ecclesiæ aperuit os ejus: et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eum. *Psalm.* 91. Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Gloria Patri.

ORATIO.

EXAUDI, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Leonis confessoris tui

atque Pontificis ſolemnitate deferimus : & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum noſtrum.

Lectio Libri Sapientiæ. *Eccli.* 32.

JUSTUS cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum : & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione : & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum : & ipſe tamquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino. Et ipſe diriget conſilium ejus & diſciplinam : & in abſconditis ſuis conſiliabitur. Ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſæculum non delebitur. Non recedet memoria ejus : & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Eccleſia.

Graduale. Pſal. 36. Os Juſti meditabitur ſapientiam & lingua ejus loquetur judicium. *Verſ.* Lex Dei ejus in corde ipſius : & non ſupplantabuntur greſſus ejus. Alleluia, Alleluia. *Verſ.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum : ſtolam gloriæ induit eum. Alleluia.

Poſt Septuageſimam, omiſſo Alleluia, *& Verſu ſequenti, dicitur Tractus. Pſal.* 111. Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. *Verſ.* Potens in terra erit ſemen ejus :

BRITISH MUSEUM 30 62 JUN

us: Generatio rectorum benedicetur. *Verſ.* Gloria & divitiæ in domo ejus: & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali omittitur Graduale, *et ejus loco dicitur.* Alleluia, Alleluia. *Verſ. Eccli.* 45. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: ſtolam gloriæ induit eum. Alleluia. *Vers. Oſee.* 14. Juſtus germinabit ſicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum. Alleluia.

Sequentia ſancti Evangelii Secundùm Matthæum. 16. b.

IN illo tempore: Venit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt. Alii Joannem Baptiſtam: alii autem Eliam: alii verò Jeremiam: aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jeſus. Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit. Tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei. Beatus es Simon Barjona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Credo.

OFFERTORIUM. Pſalm. 88. INVENI David

vid ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

SECRETA.

SANCTI Leonis confeſſoris tui atque Pontificis, quæſumus Domine, annua ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum noſtrum.

COMMUNIO. Mat. 24. BEATUS ſervus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

POSTCOMMUNIO.

DEUS, fidelium remunerator animarum: præſta, ut beati Leonis confeſſoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus feſtivitatem, precibus indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

LECT. INFRA OCT. S. GEORGII M.

ll. 1. *noct. de Scrip. occur. & Reſp. Oia de coi MM.* Temp. Paſchali *per Oct.*

DIE XXIV. APRILIS. IN II. NOCT. *Sermo S. Ambroſii.*

DIGNUM & congruum. *de coi MM. Temp. Paſc.* 1. [*Advertendum hic eſt. has* ex *Breviario, & infra poſitas ll pro* 2. *n,* De *Sermone* S. Ambr. 27. hujus *ſuo ordine recitandas eſſe,*

esse, si possint (omissis aliis 28 & 30 hujus) quia solæ sunt in Octavario pro Temp. Pasc.]

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii Secundùm Joannem.

LECTIO. VII. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex. Tract. 80. in Joan.

DENIQUE cum de Patre tanquam de agricola dixisset, quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget ut plus afferant fructum, continuo etiam se ipsum mundatorem palmitum ostendens, Jam vos, inquit, mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Ecce & ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios suos facit: nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adjumentum, sed non de suo: quia sine me, inquit, nihil potestis facere. *R.*

LECTIO VIII.

AUDI etiam ipsos confitentes. Quid autem est Apollo? quid autem Paulus? Ministri, per quos credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit. Et hoc ergo, sicut unicuique Dominus dedit. Non itaque de suo. Jam vero quod sequitur, Sed Deus incrementum dedit, non per illos, sed per seipsum facit. Excedit

hoc

hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam ſublimitatem: nec omnino pertinet, niſi ad agricolam Trinitatem. *R.*

LECTIO IX.

IAM vos mundi eſtis; mundi ſcilicet, atque mundandi: neque enim niſi mundi eſſent, fructum ferre potuiſſent. Et tamen omnem, qui fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat. Fert fructum, quia mundus eſt: atque ut plus afferet, purgatur adhuc. Quis enim eſt in hac vita ſic mundus, ut non ſit magis magiſque mundandus? Ubi ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Mundet, itaque mundos, hoc eſt fructuoſos, ut tanto ſint fructuoſiores, quanto fuerint mundiores. Te Deum.

DIE XXVII. APRILIS. IN II. N. *ſi non ponendæ ll* Dign. & Congruum.

De Sermone S. Ambroſii Epiſcopi *Serm.* 74.

LECTIO IV.

ET licet nos in reſolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen greſſus ſuos vita non deſerit, ſed inter ipſas medias inferni leges incunctanter Chriſti virtutibus ambulamus. Unde ait ſanctus Propheta: Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quod manifeſtius Dominus ait de fideli, dicens: Qui autem credit in me, non morietur; & licet moriatur, vivet. *R.*

LEC-

LECTIO V.

ERGO, fratres, cum ſanctis martyribus Paſchæ Domini gloriam conferamus; conferamus, inquam: & licet melius noverint omnia tamen nos illis prædicemus, quemadmodum de ſepulchri gremio reſurrexit ad ſuperos. Illi nobis revelent, quo pacto de inferni profundo remeaverit ad ſepulchrum. Notum, inquam, nobis faciant, quemadmodum in examine jam corpus & frigidum ſeſe calor inſinuaverit, ſpiritus ingeſſerit, ſanguis infuderit, & gelatas humore venas priſtini vigoris pulſus agitaverit, *R.*

LECTIO. VI.

NOTUM, inquam, nobis faciant, quemadmodum organum corporis diſſipatum, nervorum rurſus coaptaverit reſoluta compago; & harmoniam viſcerum jam ſilentem, in veterem concentum ſpiritus vivificans animaverit. Sacerdotes ergo prædicent, quæ Salvator poſt reſurrectionem mirabilia geſſit ad ſuperos; martyres revelent, quanta in ipſa morte refrigeria operatus ſit in defunctos. *R.*

IN III. NOCT.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

LECTIO VII. *cap.* 15.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

De Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 81 *in Joan.*

ITEM ſe dixit eſſe Jeſus, & diſcipulos ſuos palmites, & agricolam Patrem: unde

de jam pridem, ſicut potuimus, diſputatum eſt. In hac autem lectione, cum adhuc de ſeipſo, qui eſt vitis, & de ſuis palmitibus, hoc eſt diſcipulis loqueretur; Manete, inquit, in me, & ego in vobis. Non eo modo illi in ipſo, ſicut ipſe in illis. Utrumque autem prodeſt non ipſi, ſed illis: ita quippe in vite ſunt palmites, ut viti non conferant, ſed inde accipiant unde vivant; ita vero vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. *R.*

LECTIO VIII.

AC per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt utrumque, non Chriſto: nam præciſo palmite poteſt de viva radice alius pullulare: qui autem præciſus eſt, ſine radice non poteſt vivere. Denique adjungit, & dicit: Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Magna gratiæ commendatio, fratres mei: corda inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum. *R.*

LECTIO IX.

ECCE ſi qui audent, reſpondeant, qui ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere; juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Ecce cui reſpondeant ſibi placentes, & ad bona opera facienda Deum ſibi neceſſarium non putantes? Nonne huic reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui reſpondent, & loquuntur iniquitatem dicen-

ntes: A Deo habemus quod homines ſu-
us, à nobis ipſis autem quod juſti ſumus? Hæc
nt inania præſumptionis veſtræ: & ſi eſt in vo-
s ullus ſenſus, horrete: qui enim à ſemetipſo
fructum exiſtimat ferre, in vite non eſt; qui in
ite non eſt, in Chriſto non eſt. Te Deum.

IE XXVIII. APRILIS. IN II. N. *ſi non ponendæ ll.* Dignum & Congruum *nec* Licet &c. *ut ſupra.*

ermo S. Auguſtini Epiſcopi *Serm.* 1. *de S. Cypr.* 113 *de Diverſis.*

LECTIO IV.

SPIRITUS ſanctus doceat nos in hac hora, quæ oporteat dicere: dicturi enim ſumus aliquid de laude glorioſiſſimi martyris, cujus natalem hodie, ſicut noſtis, celebramus. Quod nomen ſic frequentat Eccleſia, id eſt natales, ut natales vocet pretioſas martyrum mortes. Quid eſt hoc, fratres; quando natus eſt, ignoramus: & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus: Sed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus, illo enim die traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum. *R*

LECTIO V.

Serm. 3. *de eodem.*

STUM nobis feſtum diem paſſio beatiſſimi martyris fecit; cujus nos victoriæ celebris in iſtum locum devotiſſimos congregavit. Sed celebratio ſolemnitatis martyrum, imitatio debet eſſe virtutum. Facile eſt honorem martyris

tyris celebrari: magnum est, fidem atque patientiam martyris imitari. Hoc sic agamus, ut illum optemus: hoc sic celebremus, ut illud potius diligamus. Quid laudemus in fide martyris? quia usque ad mortem certavit pro veritate, & ideò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit; ideò victor ad Deum accessit. Abundant in isto sæculo errores & terrores: beatissimus martyr errores sapientia, terrores patientia superavit. *R.*

LECTIO. VI.

Paulo post.

CONTEMNITE ergo sæculum Christiani, contemnite sæculum. Contemnite: contempserunt martyres, contempserunt Apostoli, contempsit beatus cujus hodie memoriam celebramus. Divites esse vultis? honorati esse vultis, sani esse vultis? totum ille contempsit, ad cujus memoriam convenistis. Quid obsecro tantum amatis, quod contempsit quem sic honoratis? quem, si ista non contempsisset, non utique sic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem, quarum veneraris contemptorem? certe illum, si hæc amaret, non venerareris. Et tu noli amare: non enim intravit, & ostium contra te clausit. Contemne & tu, & intra post illum. *R.*

IN III. N. Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

LECTIO VII. *cap.* 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

Ho-

Homilia S. Joannis Chryſoſtomi *Hom.* 75. *in Joan. initio.*

EGO ſum vitis, vos palmites. Quid vult hæc parabola ſignificare? quod qui non vacat doctrinæ, vivere non poteſt, & quod futura ſigna Chriſti virtute proveniunt. Pater meus agricola eſt. Quid? auxilio indiget Filius? Abſit: neque ſic intelligitur. Vide quam diligenter hanc parabolam exequitur: non enim radici, ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quam ut diſcerent, ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe: & quod ita ipſi fide uniendi ſunt, ut palmes viti. *R.*

LECTIO VIII.

OMNEM palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater. Hic ſignat vitam, oſtendens, ſine operibus neminem in ipſo eſſe poſſe. Et omnem, qui fert fructum, purgabit: id eſt, incitabit ad virtutis curam. Atqui radix circumfoſſione & cultu primum indiget: ſed nihil de ea nunc dicit, ſed de palmitibus, ſibi ipſe ſe ſufficere oſtendens. Diſcipuli autem multa præceptoris cura indigent, etiamſi ſtudioſi ſint: ideo inquit: Omnem, qui fructum fert, purgabit eum; qui fructum non facit, non poteſt eſſe in vite: qui fructum fert, eum reddet fecundiorem. *R.*

LECTIO 9. de S. Vitali.

DIE XXX. APRILIS. IN II. NOC. *ſi non ponendæ ll.* Dignum & Congruum *nec* & Licet.

De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.
Ser. 44. de Sanctis circa med.

LECTIO IV.

PATIENTER permittunt ægroti ſe a Medicis ſecari, uri, & variis amaritudinum confectionibus anxiari, ut temporali tandem reſtituantur ſanitati: quanto magis vir beatus longanimiter toleravit omnem acerbitatem tormentorum temporalium, ut coronaretur in miſericordia & miſerationibus. & in bonis ſatiaretur deſiderium ſuum? In torculari itaque conculcari voluit, ut tanquam uva matura in vinum deficeret, & vinum malorum granatorum dilecto ſuo propinaret, quo, mentes religioſæ ebriatæ ſciunt utiliter conculcare, & ad æterna irretortis oculis anhelare. *R.*

LECTIO V.

QUI ergo in tyrocinio ſuo mundanas contempſit divitias, qui corporales etiam refrænavit illecebras, qui in provectu militiæ ſuæ multas eſt perpeſſus injurias, in perfectione Sacrificii nil ſibi reſervans, ſeipſum obtulit holocauſtum, bibens illum calicem pretioſum, quem ſedens ad magnam menſam ſacræ lectionis ſibi prius ab invitatore ſuo viderat appoſitum. Cujus mors quantumcumque videatur in conſpectu reproborum deſpicabilis, in oculis tamen ejus eſt pretioſa, qui in Sanctis ſuis eſt mirabilis. *Reſp.*

LECLIO VI.

IPSE enim primò vocavit militem ſuum, ipſe juſtificavit, ipſe magnificavit; ipſe dedit e

pu-

ugnare, ipſe dedit & vincere. Longè eſt iſſimilis hæc militia mundanæ militiæ, in quâ victores exiſtimantur, qui quod malè deſiderant, aſſequuntur; qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. In Chriſtiano ergô agone manifeſta eſt pœna, occulta victoria, ſecundum quod ex perſona martyrum clamat Pſalmiſta: Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana eſt ſalus hominis: in Deo faciemus virtutem. Tamquam ſi dicerent: Victoria noſtra, gloria noſtra intus eſt, non foris eſt: foris deſpecti, intus dilecti. *Reſp.*

N III. NOCTURNO. Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

LECTIO VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia S. CYRILLI Epiſcopi Alexandrini, *Lib.* 10. *cap.* 14. *in Joan.*

EA de cauſa vitem ſe appellaſſe manifeſtè Dominus oſtendit, ut quaſi oculis hoc exemplo cerneremus manentes, in eo ut palmites, ex vite humore tracto ſpiritualem poſſe fructum afferre: reſilientes verò ab eo, vel quia in ſervatione mandati deficiant, non modò nihil fructus productûros, ſed æternum etiam ignem paſſuros. Qui enim a pietate vel charitate Chriſti decidit, ſuppliciis ſeipſum tradit ſicut deciſus palmes ad nihil aliud quam ad ignem utilis eſt. *Reſp.* Ego ſum.

Paulo poſt.

LECTIO VIII.

RADICEM ſupernæ benevolentiæ ac firmamentum eſſe ait, ſi quaſi ſpirituale depoſitum, Evangelicæ diſciplinæ dogmata & mandata ſervarint. Servantibus autem ſine mora petita bona pollicetur affutura. Si manſeritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Fieri enim poteſt, ut in Chriſto maneas, & verba ejus in te non habeas. Duplex enim via eſt, per fidem & per charitatem, propter quam mandata ſervantur. *Reſp.* Candidi facti ſunt.

LECTIO IX.

QUÆ cum ita ſint, qui verbis nudis Chriſtum confitentur, ſed mandatorum obſervatione, id eſt Charitate ad perfectionem non conformantur; quamvis Chriſto fide inhæreant, inque eo hac ratione maneant, verba tamen ejus non habent: non obliti quidem illi prædicationis Evangelicæ, ſed illecebris voluptatum capti, Spiritus gratiam abjiciunt. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere; Nam, qui ſic facit, is & in Chriſto per fidem manet, & in corde ſuo verba ejus conſervat, ut in Pſalmis dicitur: In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Te Deum.

DOMINICA infra Octavam Aſſumptionis S. M. V. *Feſtum* S. JOACHIM C. *Patris ejuſdem B. V. Mariæ.* Duplex majus. *Hâc Dom. deinceps celebrandum, niſi occurrat aliquod Feſtum duplex* 1 *vel* 2 *claſſis aut Oct. S. Lau-*

Laurentii, vel Assumptionis quia tunc prædictum Festum transfertur.

OMNIA ut in Communi Confess. non Pont. exceptis iis quæ hic habentur propria.

Vers. & Antiph. in primis Vesperis ad Magnificat, *& ad* Benedictus.

V. POTENS in terra erit semen ejus. R. Generatio rectorum benedicetur. *Ant.* Laudemus virum glorioſum in generatione ſua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus.

ORATIO.

DEUS qui præ omnibus ſanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui patrem eſſe voluiſti: concede quæſumus, ut cujus feſta veneramur, ejus quoque perpetuò patrocinia ſentiamus. Per eumdem Dominum.

Et fit Commemoratio Dom.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Eccleſiaſtici. Beatus vir, qui inventus eſt. *de Communi Confess. non Pontificis.*

In ſecundo Nocturno. Sermo S. Epiphanii Epiſcopi. *Orat. de Laud. Virg. Jub initio*

LECTIO IV.

DE radice Jeſſe ortus eſt Rex David, & de tribu Regis David ſancta Virgo: ſancta, inquam, & ſanctorum virorum filia: cujus parentes fuerunt Joachim & Anna; qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinaverunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul, & Matrem

Dei. Joachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palàm ſacrificium laudis offerebant, Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quòd ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſus ſimiliter gratia interpretatur, propterea quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti: Joachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo.

R. Honeſtum fecit.

Sermo S. Joannis Damaſceni. *Oratione* 1. *de virginis Mariæ Nativitate circa principium.*

LECTIO V.

QUONIAM futurum erat, ut Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fætum antevertere minimè auſa eſt: verum tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet. Siquidem Oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata ſunt, paritura erat. O par beatum Joachim & Anna! vobis omnis creatura obſtricta eſt, per vos enim donum, omnium donorum præſtantiſſimum, Creatori obtulit, nempe caſtam matrem, quæ ſola Creatore digna erat.

LECTIO VI.

EXULTA Joachim, quoniam ex filia tua filius natus eſt nobis: & vocatur nomen ejus magni conſilii, hoc eſt, ſalutis totius Mundi Angelus. Pudore afficiatur Neſtorius

ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quoniam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei genitricem non confitetur, à Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quamquam alioqui mea: hanc enim diviniſſimam hereditatem à Theologo Patre Gregorio accepi. O beatum par Joachim & Anna! Ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat, ac dignum ea quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis. *R.* Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

LECTIO VII. Cap. 1.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni. *Ex lib.* 4. *de Fide orthodoxa. cap.* 15.

De Domini genealogia, & sanctæ Dei Genitricis.

QUOD Joseph ex Davidica tribu originem duxerit, sanctiſſimi Evangelistæ Matthæus & Lucas liquidò demonstrarunt, Verum hoc inter eos discriminis est, quod Matthæus ex Davide per Salomonem Josephum deducit: Lucas autem per Nathan. At verò sanctæ Virginis ortum uterque silentio præteriit. Quocircà scire operæ pretium est, nec apud Hebræos,

bræos, nec apud ſcripturam ſacram hoc in more poſitum fuiſſe, ut mulierum genus recenſeretur. Verùm hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerſeret. Ac proinde Joſeph, qui ex tribu Davidica ortum trahebat, juſtitiamque colebat (hanc enim laudem ei tribuit divinum Evangelium) ſanctam Virginem haudquaquam præter legis præſcriptum deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet. Ob idque ſatis habuit Evangeliſta demonſtraſſe, unde Joſeph ortum traxerit. *R.* Iſte eſt qui ante.

LECTIO VIII.

IGITUR ex ſtirpe Nathan filii David, Levi genuit Melchi, & Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem (namque ita vocabatur.) Barpanther rurſus genuit Joachim, Joachim denique genuit ſanctam Dei Genitricem. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filii David, Mathan ex uxore ſua genuit Jacob: Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi, ac frater Pantheris, uxorem ipſius Mathan, quæ etiam Jacobi Mater erat, matrimonio ſibi copulavit, atque ex ea genuit Heli: ita uterini fratres erant Jacob & Heli: ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus.

LECTIO IX. Jung. VIII.

PORRO Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis, è vita migravit: eaque de cauſa, Jacob ipſius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipſius Uxorem accepit, fratrique

rique ſuo ſemen excitavit, ac Joſephum pro-enuit. Joſeph itaque natura quidem filius acob erat à Salomone oriundus : legis autem atione patrem habebat Heli ex Nathan oriun-um. Quæ cum ita ſint, Joachim lectiſſi-nam illam, ac ſummis laudibus dignam Mu-erem Annam matrimonio ſibi copulavit. Ve-ùm, quemadmodam priſca illa Anna cùm erilitatis morbo laboraret, per orationem ac romiſſionem Samuelem procreavit : eodem nodo hæc etiam per obſecrationem & promiſ-ionëm Dei Genitricem à Deo accepit, ut ne ic quoque cuiquam ex illuſtribus matronis ce-eret. Itaque gratia (nam hoc ſonat Annæ ocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ omine ſignificatur.) Verè etenim rerum om-ium conditarum domina facta eſt, cum Cre-toris mater extitit. *R.* Sint lumbi.

IX. *Lectio Dom. & com. ejuſdem & Oct. In cundis Veſperis Omnia de Communi.* Oratio *ut upra.*

DECRETUM *Urbis, & Orbis.*

CUM enixè, ac ſæpius Sac. Cæſarea Ma-jeſtas inſtiterit. ut Feſtum *S. Joachim* pe-indè, ac *S. Annæ* Conjugis eſſet in Eccleſia niverſali de præcepto, S. R. C. Emō, & mō D. Card. Gotto referente, re Maturè, ec ſemel diſcuſſa, ita denique cenſuit annuen-um, ut ne Feſta de præcepto multiplicentur, ebitus tamen honor Genitori Matris Dei non enegetur, Feſtum ejuſdem *S. Joachim* à die o Martij ad Dom. poſt Aſſumpt. B. V. ejus iliæ transferatur, in eaque ſub ritu duplici ajori, ut & Feſtum *S. Annæ* Conjugis ſub eodem

eodem ritu deinceps celebretur. Si Smō D. Noſtro placuerit. Die 20 Septembris 1738.

Facta igitur de prædictis per me infraſcriptum Secretarium eidem SSmo relatione; Sanctitas ſua ut Sanctiſſimorum Matris Dei Genitorum cultus augeatur, libenter approbavit, atque ita in poſterum ſervari ubique mandavit, die 3 Octobris 1738.

C. Card. de Marinis Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Jeroſol. S. R. C. Secretarius

MISSA. *In Commemoratione ſolemni beatæ Virginis* MARIÆ *de* MONTE-CARMELO.

INTROITUS.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem feſtum celebrántes ſub honôre beàtæ Maríæ Vírgínis, de cujus ſolemnitâte gaudent Angeli, & colláudant Filium Dei. *Pſalmus:* Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. *℣* Glória Patri.

ORATIO.

DEUS, qui beatiſſimæ ſemper Virginis, & Genitrîcis tuæ Maríæ ſingulári tituloCarméli Ordinem decoráſti: concêde propitius; ut cujus hódie Commemoratiónem ſolemni celebrâmus officio, ejus muníti præsídiis, ad gáudia ſempitérna pervenîre mereâmur. Qui vivis & regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ.

EGO quaſi vitis fructificávi ſuavitâtem odôris, & flores mei fructus honôris, & honeſtâtis. Ego mater pulchræ dilectiônis, & imôris, & agnitiônis, & ſanctæ ſpei. In me grâtia

grátia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtûtis. Transîte ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus ſuper mel dulcis, & heréditas mea ſuper mel & favum, Memòria mea in generatiónes ſæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; & qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundêtur, & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Benedicta & venerábilis es virgo Maria, quæ ſine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. *V.* Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit Orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Allelúia, allelúia. *V.* Per te, Dei Génitrix, nobis eſt vita pérdita data: quæ de cælo ſuſcepísti prolem: & mundo genúisti Salvatórem. Allelúia,

Sequéntia ſancti Evangelij ſecúndùm Lucam.

IN illo témpore: Loquénte Jeſu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beâtus venter, qui te portâvit, & úbera, quæ ſuxísti. At ille dixit: Quinímmò beáti qui audiunt verbum Dei, & cuſtódiunt illud. Credo.

Offertorium Recordâre Virgo Mater, in conſpéctu Dei, ut loquâris pro nobis bona, & avértas indignatiónem ſuam à nobis.

SECRETA.

SANCTIFICA Domine quæſumus, oblâta libâmina: & beátæ Dei genitrîcis Maríæ ſalubérrima interceſſióne, nobis ſalutária fore concêde. Per eúndem Dóminum noſtrum.

In

In Præf. Et te in Commemoratiône beátæ Mariæ

Communio. Regîna mundi dignísſima Maríà; virgo perpétua: intercêde pro noſtra pace & ſalûte; quæ genuísti Chriſtum Dóminum Salvatôrem ómnium.

POSTCOMMUNIO.

ADJUVET nos, quæſumus Dómine, gloriósæ tuæ genitrícis, ſempérque Virginis Maríæ intercéſſio veneránda; ut quos perpétuis cumulâvit beneficiis, à cunctis periculis abſolútos, tua fáciat pietate concórdes. Qui vivis & regnas.

HIC FINIT OPUS, LAUS AC HONOR OMNIPOTENTI DEO.

Tabula Alphabetica Nom. SS. &c

A

Auguſtini C.P. cum Oct. p. 7

B

Venerab. Bedæ C. 32

C

Camilli de Lellis C. cum Miſſa. 15 12

D

Decreta nova. 42
Decreta circa Rubr. 47

E

Eduardi R. C. cum Oct. 24
Edmundi R. M. 36

G

Georgii M. Pat. Angl. 6
Lect. infra Oct. 54.

H

Homilia dicenda &c. 37

J

Joachim C. Pat. B. M. V. 6

L

Leonis Pap. C. Doctoris, cum Miſſa. 5
Laurentii Juſtin. C. P. 2

M

Miſſa votiva ad poſtulandam gratiam benè moriendi. 3
Miſſa B. M. V. de Monte Carmelo. 7

S.

Staniſlai M. Pont.

T

Thomæ Cant. M. P. cum Oct.

U

Urſulæ &c. VV. MM. 3

FINIS.

BRITISH LIBRARY MUSEUM 30 62 JUN